

1.  
2.  
3.  
4.  
5.



1785

1. Hufeland, Gottlob: De legum in pandectis interpretatione  
daturum subsidio ex eorum nexu et consecutione peten-  
do
2. Reichert, Jo. Augustus: De fideicommissis quos, quod super-  
futurum erit ejusque differentia a rebus, quibus accep-  
ta reddenda sunt in eodem genere ut nos C. VIII.
3. Scherz, Justus Christianus Lud. de: De Caesareo  
jure litterarum penales concedendi simulque  
solemnia inaugurationis . . . Ernesti Goepferi  
Schmidii in Diss. 2. Saaltz
4. Schmidtus, Jo. Ludovicus: De iis, quae ad exercen-  
tam jus retentionis necessariae sunt.
5. Walchius, Carol. Frider.: Programm: De privilegio  
artis Indicae, quo Joannis Henr. Ackermannii  
Disputationem, 12. aug. . . indicit.

1785

6. Walchius, Cos. Fris: *Reliquiae controversae inter* 3.  
*Bulgarium de Bulgaria et Martium Goriam. De*  
*proleptione Sotis. Programma; quo ... In illis* 178  
*Hafelund ... Disputationem inang ... indicat* 4.

7. Walchius, Cosmus Fridericus: *De verisimilitudine*  
*criminiis.* 5 v.

1787.

1. Eckartus, Franc Lud. Zel. v. d. Necamus: *De feuda*  
*feminini natura et in illa selva primo acquiri*  
*renti in successione descendantium in omni* 6.  
*feminas masculis proaeferre dicit licet?*  
*Programma, quo Augusti Henrici Theod. Geitors*  
*disputationem inang ... indicat* 7.

2. Eckartus, Franc Ludovicus: *De feudis feudatibus*  
*et in quibus exorta concursus feudati loca et ordo*  
*ordine.* 4.

3. Walckius, Conradus Fridricus: De iuris iurandi de Catione  
in reformatione Francofurtensi. . .

1788

4. Zimmer, Christ. Gualfridus, bnd. med. decanus: Fragmenta  
medicorum . . . de variolis et morbillis simulque  
sollemnia inang. Valerii Fustelini Neabeck iudicis.

5. Mallin's Kratt, Arn. hnd. Frs: De praescriptione servi-  
tutum extinctivis imprimis est. 13 P. deo de servit.  
et. aqua

6. Maus, Conradus Tacobus: Quis ab ex tione insten-  
mentorum non immunitis, sed psonae ac actus  
ad eam obligatus est

7. Schuicidius, Jo. Ludov. bnd. jur. decanus: De interpella-  
tione ex hujusmodi ab interruptenda praescriptione  
hanc excludentis. Programma, Dissertationes inaus.  
Arn. hnd. Frs. Mallin's Kratt praesentata.

1789.

1. Schart, Dr. Ludovicus : De quibusdam conditionibus  
crisis perspicuendam corporis helicti in facto magno  
certitudinem attribuentis. Programma et sollemnia  
inang. Inv. Aug. Christiani ab Hallefeld.
2. Mercan, Fr's. Im. Cr. : De peritus capitalaborum  
novissimarum conditionibus in genere
3. Reschard, Dr. August, b'd. j'm. Decanus : Utum  
actus legitimi Romani fuerint sollemniores ad  
1.778.1.1.1. Programma, quo Fr. August Reschard  
sollemnitie inang. indest.
4. Waldner, Carolus Trivertinus : De furto fene dominant  
facto ad l. c. c. art. 166.



PROGRAMMA  
AD  
SOLENNIA INAUGVRALIA

GENEROSISSIMI

IOAN. AVG. CHRISTIANI  
AB HELLFELD

QVO SIMVL

QVADAM CAVTIONES CIRCA PERFICIENDAM  
CORPORIS DELICTI IN FVRTO MAGNO  
CERTITVDINEM ADHIBENDAS

EXPOKIT

IO. LVDOVICVS ECKARDT D.  
H. T. FACVLT. IVRID. DECANVS.

---


IENAE  
LITTERIS GOEPFERDTIANIS.



1289,1

18





---

**I**n corpore delicti ita definiendo, ut neque absit quidquam, neque redundet, ingenia iam varie exercuerunt Doctores iuris criminalis \*). Sentiant alii, quicquid velint, mihi corpus delicti est id, quod delictum quoddam quoad ea, quae sunt facti corporei, constituit. Consistit enim delictum in facto legi poenali contrario doloque malo perpetrato. Est igitur partim facti corporei, partim facti interni s. mentis: illud eius quantitatem, hoc eius qualitatem constituit. Vnum sine altero delicti conceptum respuit. Inde, ut mihi quidem videtur, Interpretes iuris criminalis antiquiores delictum *animali* haud absimile iudicarunt, quod consisteret *corpore*, quatenus nimirum est facti corporei, et *anima*, quatenus ad animum delinquendi respicitur; alium, quo denomi-

\*) Pecuniaria ea de re scripta de SENCKENBERG in Supplementor. ad Bibl. Lipen. Vol. II. pag. 120 quibus addas, si placet, Perill. NETTELBLATT Diss. de sententia condemnatoria sine praeuia inquisitione speciali Sect. I. §. 2. in eius Exercit. acad. N. 28.

\*

minatio corporis delicti toleranda quadam ratione explicari  
 possit, modum plane ignoro. Quicquid igitur in facto con-  
 sistens lex poenalis supponit, quo poenae praescriptae locus  
 sit, id ad corpus delicti referendum est. Hinc omnia  
 me fallunt, aut inde sequitur, ut ad corporis delicti  
 certitudinem nondum sufficiat certitudo facti principalis  
 legi criminali contrarii, si lex praeter illud et alias circum-  
 stantias comites desiderat, sed requiratur quoque certitu-  
 do earum facti circumstantiarum, quibus positus demum  
 legis dispositio locum sibi vindicat. Sic, quo furtum quod-  
 dam sit magnum, idque suspensio puniendum, non suffi-  
 cit V. solidorum ablatio, sed necesse quoque est, ut V. so-  
 lidorum iactura laesum graui damno afficiat. Certitudo  
 quidem ex probatione omnibus numeris absoluta resultat  
 ideoque ante de duobus istis corporis delicti membris ex  
 probationibus plenis constare debere, quam eius certitudini  
 locus sit, cuiquam videri posset; sed hac in re sub certitudine  
 simul certitudinem vel quasi, si Ictos Rom. imitari licet, quae  
 nimirum in rebus moralibus obtinet, s. summum verisimi-  
 litudinis gradum, immo et inferiorem, at non multum ta-  
 men a summo remotum, comprehendi, de eo inter omnes  
 rerum criminalium gnaros satis superque constat. Aliam  
 enim requirimus certitudinem ad poenam ordinariam, in-  
 primis capitalem, infligendam, aliam ad decernendam  
 torturam, aliam ad purgatorium iniungendum, aut admit-  
 tendam inquisitionem specialem, aliam autem ad inquisi-  
 tionem generalem suscipiendam. Nunc e re erit, in ea,  
 qua deficiente poenae mortis locus dari nequit, subsistere,  
 quippe quam ob maximum, immo inestimabile vitae ho-  
 minis

minis pretium utique maximam, ideoque probatione plena, aut certissime quidem hanc proxime attingente verisimilitudine innixam esse debere, quilibet facillime perspicit. Quae cum ita sint, prono, quod dicimus, alveo sequitur, ut corporis delicti certitudo soli verisimilitudini innixa eius conditionis esse debeat, ut vi argumentorum tam contra reum, quam pro illo, undique conquisitorum eorumque inter se coniunctionis, fieri vix ac ne vix quidem possit, quin delictum eo modo, quem lex supponit, sit perpetratum. Pertinet igitur ad gravissimum iudicis sanguinis officium, ne corporis delicti certitudinem coniecturatam conquirens in sola argumentorum pro delicti verisimilitudine facientium conquisitione acquiescat, sed ut simul in circumstantias, quae si in iis explorandis officio satisfecisset, verisimilitudini forsitan obesse possent, sedulo inquirat, quo hisce circumstantiis, quantum satis, erutis easque aut pro corpore delicti, aut saltem non contra illud facere reperiens verisimilitudinem eo magis firmet omneque dubium, quod ex earum neglecta cognitione emergere posset, funditus remoueat. Qua in re quam negligentes sint haud pauci iudices criminales, mihi non via dolendi iam fuit occasio, in primis in causis furtorum eorumque magnorum, in quibus se officio quoad corporis delicti constitutionem satisfecisse putant, si laesus furtum sibi illatum et rerum ablatarum pretium iuratus asseuerauerit, licet ipsis ipsae res ablatae ad manus et ante oculos positae fuerint, neque conditionis laesi, cuius vitae, famae, veracitatis, quarumue facultatum sit, ullam habent rationem. Quod quam sit absonum, vel

inde elucet, quod hic corpus delicti certum reddendi modus tantummodo in subsidium s. alio modo securiore cessante, quin et hocce casu non nisi omni adhibita circumspicione, salua iustitia admitti potest. Tantum enim abest, ut is vlla legum auctoritate fulciatur, ut ex earum comparatione, quam vulgo analogiam iuris dicimus, potius pro legibus contrario sit habendus. Leges nostrae, quanquam non semper, saltem hac in re, cum rectae rationis principis conspirantes abhorrent a teste in propria causa, hunc vero esse furto laesum, quis est, quin videat? Ira vindictaque flagrans prouolat ad iudicium, queritur de iniuria sibi suisque rebus illata, iustitiam ad puniendum furem ac res ablatas reconciliandas prouocat, simulque a iudice hoc in statu animi perturbatissimo in testem iniuriae et rerum ablatarum, quin et harum aestimatorem recipitur, hocque modo corpus furti etiam magni ad inquirendum, torquendum, immo et suspendendum fatis certum esse, quamplurimi iuris criminalis Interpretes inque primis Practici sibi persuadent. Aedepol profecto, certitudo abominanda, quae speciem quidem, certi nil habet! Perquisiuitne laesus statim omnes res suas ita, ut ablatas tuto in digitos mittere possit? Tractauitne res, quibus se carere nunc percipit, heri aut nudius tertius suismet ipsis manibus aut oculis? Et quid dicam de ipso laeso aestimatore? Nonne suam quisque ranam putat esse Dianam? Vtique igitur mirandum, qui fieri potuerit, ut hicce fallax certitudinis corporis delicti consequendae modus in mentem Ictorum atque exinde in forum irrepserit

rit \*). Duo huius rei proferuntur argumenta, alterum ex L. si quando C. unde vi, alterum ex Articulo CCVIII. Sanctionis criminalis Carolinae repetitum. Sed videamus, quid istis roboris insit! Quod attinet ad legem priorem, in illa Imp. Zeno vult, ut vim passus, si singula, quae perdidit, comprobare nequeat, praenotia iudicis taxatione pro personarum atque negotii qualitate ad illarum aestimationem iuratam admittatur. At enim vero quid haec ad eum, de quo nunc est quaestio, probandi modum? In L. cit. non de poena capitis aut corporis, sed de restitutione damni in rebus dati, earum aestimationem praestando, sermo est; nihilominus et hanc ipsius laesi aestimationem ob manifestam eius lubricitatem non nisi ea conditione, ut antea iudex de eius iusto aequoque modo arbitretur, admittit. Eheu, quam belle haec quadrant in eam, de qua loquimur, corporis furti magni probationem? vti quadrata scilicet rotundis. Nonne longe maiori, immo maxima cautione opus in rei eiusque pretii determinatione, ex qua hominis vita aut mors pendet, quam in nuda re pecuniaria? Quod si vero aliqua hos inter casus adsit similitudo, quamnam ob causam in furti magni aestimatione ab ipso laeso facta negligimus insississime prudentissimeque illud a Zenone inculcatum iudicis arbitrium? At firmiter forsitan, si Diis placeat, fundamentum dabit argumentum secundum. Articulus CCVIII. C. C. C. citatus sequentis est tenoris: *Beiwise aber*  
*eyn*

\*) Criminalitae antiquiores longe cautius hac in re procedebant. Lib. I. Tit. I. Qu. 2. n. 14 15; ibi que citi.  
 FARINAC, Prax. et Theor. crim.

eyn kleger in obgemeltem fall der ansprühigen hab halben die eygenschaft genugsam, und kömmt doch dabei nit beweisen, dasz im die durch raub oder diebstal entwent worden wer, und die antworter möchten dargegen zu recht gung nit darbringen, dasz dieselbig kriegisch habe nit gutem rechmesigem tittel von dem kleger bracht vnd an sie kommen wer, so soll dem kleger auf sein betewrung mit dem eyde (dasz im solche güter geraubt oder gestolen worden seien) geglaubt werden vnd im dieselben abermals in massen, als obstehet, darauf folgen. IVSTIN. GOBLERVS in longe rarissima C. C. C. versione latina \*) huucce articulum sat bene hoc modo transtulit: *Iam et actor, si in praedicto casu accusatorum bonorum occasione probaret proprietatem sufficienter, neque simul tamen probare posset, ea sibi rapto furtorum ablata esse, nec respondentes, prout de iure satis, contra possent probare, ea ipsa litigiosa actoris bona iusto et legitimo titulo sibi acquisita esse, actori quidem mediante suo iuramento, eiusmodi bona sibi praedatione furtorum ablata esse, adfirmanti credatur, eaque modo praedicto ipse restituantur.* Ipsi textui C. Carolinae statim hanc versionem subiunxi, quo verborum obsoletarum passim occurrentium explicationi superfedeam. Hoc vnicum illustrandi textus causa proferre liceat, in articulo proxime antecedente sermonem esse de rei rapina vel furto ablatae eiusque iudici exhibitae vindicatione, et circa illam sanciri, quod actori sit restituenda, si probet, ipsi illam rapina aut furto esse ablatam. Inde articulo nostro, quid iuris, si neque vindicans rei ablationem violentam vel furtiuam, neque reus sibi illam habiturus iustam eius acquisitionem probare, at actor tamen, rei dominium sibi competere, iureiurando firmare possit, luculenter explicatur

\*) Pag. 131.



tur. Talpa coecior esset, cui non statim in oculos incurret, hanc Carolinae dispositionem non fecus, ac legem Zenonianam ante memoratam, solummodo ad rei ablatae restitutionem, misso omni respectu ad poenam criminalem, hinc ad meram causam civilem esse directam, idque intuitu Carolinae dispositionis eo esse euentius, quo magis eius verba prolata satis superque produnt, inibi sermonem esse de casu, quo de raptore aut fure plane non constat. Ergo et in secundo, quo DD. peruersum corporis furti magni certitudinis consequendae modum defendere nituntur, argumento ea omnia, quae supra de primo prolata, iure optimo maximo locum sibi vindicant. Rectissime igitur antiquiores iuris crim. Interpretes statuunt, intuitu furti per laesi iniurandum aestimandi ea omnia obtinere, quae obtinent in iuramento in litem; hinc ante omnia de furti veritate aliunde, quam ex iurata laesi asseueratione constare, neque huius aestimationis effectum vltra id, quod laesi civiliter interest, extendi debere \*). Horum quaedam quoque monuit GRANZIUS \*\*), at quasi aliud agendo. Sed regerunt iuris criminalis DD. magni nominis, KRESSIVS \*\*\*) et BOEHMERVS \*\*\*\*), vel ob hoc, ne quam plurima furti

ma-

\*) FARINAC. de furt. Qv. 176.  
Opp. Part. 7. p. 144. ibiaque citt.

\*\*) in Comment. ad. C. C. C.  
art. CLX. §. 2. not. 1.

\*\*) in Defens. inquil. Part. 2.  
Cap. 5. Membr. 2. Sect. 3. Art. 3.  
n. 219. p. m. §11. ed. in fol. et  
Part. 2. Cap. 6. Membr. 2. n. 18.  
seqq. p. 70.

\*\*\*\*) ad CARPZOV. Prax. crim.  
Qv. 78. Obf. 6.

\*

magna euadant impunia, hunc corporis furti magni certitudinis conficiendae modum retinendum esse. Itaque nil referret, vtrum solummodo furti magni vere rei, an et inter eos vnus aut alter illius non reus ex furca suspendatur? Quomodo haec atque aurea ista iuris pariter, ac humanitatis regula, qua melius, decem fontes sine poena discedere, quam vnicum infontem puniri, inter se conciliari possint, equidem non video. Instant porro, communem DD. sententiam et praxin diuturnam contrarium stabiluisse. Quod ad illam, ex aduerso pronoco ad FARNACIYM et ab eo citatos, quoad hanc, huius nunquam apud me tanta est auctoritas, vt claras leges atque indubiam iuris analogiam vincat. Quorsum igitur me conuerto, nil praesidii pro certitudine corporis furti magni per laesi iusiurandum elicienda in iure, inamo ne in ciuili quidem prudentia inuenio. Hinc non possum non, quin hunc certitudinis corporis delicti consequendae modum pro spurio et mero iuris errore in praxin inuecto declarem. Quia vero praxis est tyrannus ideoque, nisi legislatores longas manus adhibeant, huius lolii The midia campos inquinantis runcationem sperare vix licet, postquam per longum tempus tam altas egit radices, vt viribus vulgaribus eradicari nequeat, semenque tam copiosum vndique sparsit vt in omnes fere iuris criminalis institutiones exceptum, velut solo nouiter culto mandatum, in singulos dies nouum robur nouamque fecunditatem lucretur. Quae cum ita sint ferendumque, quod mutari nequit, saltim necesse esse videtur, vt spurio iste modus, certum reddendi corpus delicti

licti in furto magno, tam arctis circumferibatur limitibus, ne quod huc vsque saepius factum, nimis creduli quamque nubem pro Iunone amplectamur. Quod quo euitetur, sequentes cautiones circa hunc fragilem corporis furti magin ad certitudinem prorehendi modum adhibendas esse puto: 1) ante non admittatur, quam omni spe rerum ablatarum adipiscendarum cessante, id quod saepius iamiam alii monuerunt; 2) sedulo inquirendum in laesi vitam, famam et veracitatem, quae si minus probae reperiantur, eius fidei corporis delicti certitudo ne ad inquirendum quidem committi potest; si vero 3) laesus vitae, famae atque veracitatis integrae sit, iudex eum non statim, ac furtum passus est, ad iusiurandum admittat, ne ira vindictaque incensus temere ac praecipitanter agat, sed ante admoneat, ut domi omnia sedulo perscrutetur, res, quas sibi ablatas suspicatur, consignet atque cuiusvis earum intuitu secum voluat animo et memoria, quo tempore eam vltima vice manibus aut oculis tractauerit, numme cuidam commodauerit, apud amicum vel alium reliquerit, aut forte perdiderit etc, earum consignmentem accuratam et talem, quam iureiurando firmare possit, simul suis in consilium adhibitis, conficiat ut et his quoque auditis earum aestimationum determinet; quo demum facto et interim sedato animo abiectoque vindictae spiritu iudex illum, et quidem praeuia serua admonitione de periurio vitando, ad iusiurandum admittat; 3) probe tamen perpendat, a) hoc modo certitudinem quidem ad inquirendum, minime vero ad durius quid contra furti suspectum

statuendum sufficere, nisi alia quoque accedant adminicula e. g. confessio furis, rerum praetense surreptarum possessionis ante furtum evidentia aut demonstratio, aliaque; immo b) ne eius solius quidem causa restitutionem furti nulla alia ratione probati huius suspecto posse iniungi; hoc vero c) licet aliunde probato non simpliciter in aestimatione iurata subsistendum, sed de eius modo ex aequo et bono ipsi arbitrium ferendum esse, antequam furti reum in illius praestationem condemnet; hinc d) multo minus nudam furti eiusque aestimationis iuratae laesi confirmationem ad torturam vel mortem decernendam esse sufficientem, sed, quo id fieri possit, requiri claram ipsius furti probationem, aestimationemque iuratae aliis adminiculis suffultam; porro 4) index inquireat in laesi facultates curetque, ut earum vires ad Acta describantur; hoc enim, me quidem iudice, ad corpus delicti in furto magno rite constituendum omnino requiritur, quia art. CLX. Nemesios Carolinae in eiusmodi furto morte aut graui corporis poena coercendo ad damni illo illati grauitatem respici iubet, sicque poena saltem mortis a grauitate damni, quod laeso ex V. aureorum iactura imminet, non minus, ac ab ipsa V. solidorum quantitate pendet, cui eo magis inhaerendum, quo magis haecce quantitatis determinatio contra iuris ciuilibus rationem, iusto paulo durius, introducta est \*); quod quam turpiter a iudicibus rerum criminalium negligatur, experientia fere quo-

\*) DAMHOVDER. Prax. rer. crim. Cap. 110. n. 15. pag. 359. edit. Antwerp. a. 1570.

quotidiana edoceor. Nec mihi obstare videtur, quod hodie ob furtum magnum simplex vix poenae capitali locus detur, sique dietata, fur aggratietur; etenim proni sumus in poenam fustigationis pro capitali substituendam, et poena suspendii pro more adgratiando commutatur in carcerem perpetuum, quo vero utroque casu, deficiente graui damno accedentibusque aliis causis mitigantibus, omnino iusto durius quid statui posse non ambigo. Imprimis autem sublatum velim morem iudicibus criminalibus fere communem, quo furta a fure inquisito vbicunque perpetrata sedulo quidem conquirunt, sed in sola laesi adseueratione veritatis furti et pretii rerum ablatarum iurata acquiescunt, neque vllam conditionis laesi, intuitu fidei ipsi tribuendae reiue familiaris, rationem habent, sic vero ICTum sententiam laturum in ancipiti relinquunt, quid ipsi de tam rudi materia statuendum. Non sine fructu fore confido, si summi legislatores, quae leui tantum penicillo delineauit, perpendant atque naeuos ex neglectu cautionum memoratarum resultantes, in iudiciis haud raro obuios, quam primum tollant. Sed haec praefaminis loco sufficiant.

Indicenda nimirum sunt solennia inauguralia Generosissimi Doctissimique IO. AVGVSTI CHRISTIANI AB HELLFELD, digni tali patre filii, cuius vitae curriculum studiorumque, quam inuit, rationem ipsius potius, quam meis verbis exponam, quo eo sincerius quiuus accipiat, quae ad ipsum pertinent.

Ego IO. AVG. CHRISTIANVS AB HELLFELD Ienae d. XXIII.  
 Mens. Octobris A. R. S. MDCCLXV mundi lumen adspexi. Pa-  
 trem IO. AVGVSTVM AB HELLFELD Iur. Doctorem, Serenissimor.  
 Ducum Sax. Vinar. et Ifenac. nec non Gothan. et Altenburg. a consi-  
 tiis sanctioribus in regimine et aula, Iur. Canonici in celeberrima hac  
 Academia P. P. O. Cur. prov. Sax. comm. Asses. Iurisconsultor.  
 Ordinis et Scabinor. Collegii praesidem ordinarium, matrem autem  
 Fridericam Ludovicam, ex gente Beati IOH. REINHARDI RVSSII,  
 Theologiae Doctoris, in hac miserarum sede quondam Professoris pu-  
 blici ordinarii, inter beatos veneror. Venerabili patri, praemat-  
 sa morte MDCCLXXXII mihi iam erepto, quam maxime coram  
 erat, omnem in educando adhibere curam, et prae ceteris omnibus in id  
 contendere, ut principis christianae religionis ceterisque scientiis rite  
 imbueret. Quamobrem privatis me tradidit praeceptoribus, quorum  
 diligentia MDCCLXXXII d. XX Sept. ab Illustri Viro ER-  
 NESTO ANTONIO NICOLAI, fascēs academiae tunc tenente, in nu-  
 merum civium academicorum receptus, ad studia academica accedere po-  
 tui. Initium studiorum academicorum a scientiis philosophicis cepi, in  
 quibus addiscendis praecipue ill. HENNINGSII industria mihi laudi-  
 bus celebranda est, cuius Viri venerandi in me merita tanta sunt,  
 ut non possim non ad annos maiorenitatis nunc provectus de munere  
 curae tam bene gesto amplissimas et publicas ipsi exhibere gratias.  
 Historiam statuum, S. R. Imperii, Saxoniam, antiquitates Germanicas,  
 aequae ac artem diplomaticam, ut et heraldicam, me docuerunt  
 Viri Excellentissimi MÜLLER et HEINRICH, in scientiis autem  
 cameralibus, forestalibus, physicis, Mathematicis, nec non historia  
 naturali, viris illustribus summeque venerandis SYCCOVIO, et iam inter

coelites triumphante WIDEBURGIO usus sum. Ad Medicinam quoad  
attinet, a me recreandi causa delibatam, in Medicina forensi, Physio-  
logia et Anthropologia Ill. Viros NICOLAI, LODER et STARK prae-  
ceptores habui. His peractis anno MDCCCLXXXV ad Iuliam Ca-  
rolinam, quae Hebnsladii fioret, me contuli, ubi ab Exe. WIEDE-  
BURGIO, qui Regimini academico praeerat, in album civium aca-  
demiorum relatus Ill. Virorum OELTZII et FRIEKII, quorum  
merita in me immortalia nulla unquam oblivio delebit, collegiis inter-  
fui. Reversus MDCCCLXXXVI in patriam hanc academiam, cur-  
sum iuridicum continuavi. Quo Virum illustrem REICHARD in  
Pandectis, et iure criminali, SCHMIDT et SCHNAVBERT in iure  
germanico, feudali, publico et Canonico doctores habui, lectionibus-  
que practicis et relatoris consultiss. Viri VOELKER interfui, nec  
non frequentavi Viri consultiss. SCHORCHTII collegium examinatio-  
rium in Pandectas. Historiam iuris civilis me docuit Vir perillu-  
stris et insignis humanitate eximia WALCH, quem hodie praesidem meum  
veneror, cuius quoque non sine magno utilitatis fructu exercitatio-  
nibus disputatoris fui adscriptus. Cum tandem ad maiora mihi  
esset progrediendum, ab inclyto, qui in hac Academia est, Ictorum  
ordine, omni, qua par est, observantia petii, ut periculum faceret,  
quantos in iure progressus fecerim.

Is igitur, postquam in examinibus huius rei causa in-  
stitutis non textus modo ipsi praescriptos laud proletarie  
explicavit, sed et dubia obmota solide solvit, cras cathedram  
iuridicam ex illustris Ictorum Ordinis decreto ipsi  
ape-

aperiendam ascendet, et Dissertatione inaugurali *de furto fame dominante facto ad C. C. art. CLXVI.* publice sub praesidio Perillustris celeberrimique WALCHII, Sereniss. Duci Sax. Vinar. et Ifenac. a consiliis iustitiae secretioribus, Fautoris et Collegae honoratissimi, publice defendet, hocque facti ritibus solitis adhibitis Doctor iuris utriusque renunciabitur. Quibus VI MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, COMITES ILLUSTRISSIMI, PATRES ACADEMIAE, CONSCRIPTI, PROFESSORES et DOCTORES, Generosissimi nobilissimique Commilitones, quique bonis litteris fauent, interesse eoque illustriora splendidioraque reddere velint, est quod ILL. ORDINIS IVRIDICI meoque nomine enixissime rogo.

P. P. Sub sigillo Facultatis D. VI Nou, MDCCLXXXVIII.



P. 154










ULB Halle 3  
004 582 101



Sb. f







PROGRAMMA  
AD  
SOLENNIA INAUGVRALIA

GENEROSISSIMI

IOAN. AVG. CHRISTIANI  
AB HELLFELD

QVO SIMVL

QVADAM CAVTIONES CIRCA PERFICIENDAM  
CORPORIS DELICTI IN FVRTO MAGNO  
CERTITVDINEM ADHIBENDAS

EXPONIT

IO. LVDOVICVS ECKARDT D.  
H. T. FACVLT. IVRID. DECANVS.

IENAE  
LITTERIS GOEPFERDTIANIS.



1789, 1  
18

